

fidem fides servanda non est. Quod autem fidem non servet, inde deducitur, quia per novum delictum offendit Rempublicam, adeoque & illum à quo ut representante Rempublicam salvas conductus confessus illi est.

172. Quaritur XIX. An ex aliqua superveniente causa, quae absque culpa a securati emerit, possit revocari Salvus conductus confessus. Ad hoc dubium respondet affirmative illudque exemplificat Magalorus, de salvo conductu p. 4. commemorat enim exemplum Ducis Mediolanensis, qui offiderat seu a securaverat bannitos alienigenas, & dubitatum fuit, an superveniente bello, (& sic nova causa) ob quod de bannitorum fide rationabiliter poterat dubitare, ipsi Duci liceret Salvos conductus revocare, & conclusum fuit, posse.

Accuratius tamen, meo iudicio, respondet Farinacius q. 29. n. 64. Posse quidem Salvum conductum revocari, sed absque revocationis notificatione non posse a securatum capi, sub praetextu novae causae supervenientis: hoc enim ini-

quissimum esset, nec Jura permittunt, nec rationes probant.

173. Quaritur XX. An Salvus conductus expiatur morte concedentis, vel si ejus iurisdicção finiat. Assumat absolute Gillbadius, Quod tamen, meo iudicio, solum verum est, re adhuc integrâ, & quamdiu a securatus non est illo usus, nec in loco comparuit. Nam si iam comparuisset, iniquissimum esset, si à Successore incarcerationetur.

174. Denique advertendam est, quod Judex inferior specialiter prohibetur concedere salvas conductum in causa fractae pacis publicae, hoc enim solius iudicis Camerali, nomine Imperatoris & Statuum Imperii, permillum est. Ord. Cam. parte 1. tit. 10. ibi. [Simul & cum ista citatione, suspecto, nostro loco, & sacri Romani Imperii nomine, salvas conductu pro se ac suis quibuscumque, quos ad eum diem secum adduxerit, indifferenter, & absque fraude dictâ diem ad eundem, & ab ea recedendo, ad loca sua tuta praestabit in Scriptis.] Et hæc de Salvo Conductu.



## CAPUT VI.

### DE EXAMINE, ET RESPONSIONIBUS REI.

175. Priusquam ad Criminis inquisitionem vel accusati probationes procedatur, videndum est, an spontanea Rei confessio haberi possit, ne in examinandis testibus inutilis mora trahatur. Nam sicut convictus, ita & confessus condemnari potest cum Confessio judicialis & legitime obtenta, sit probatio probata, & efficacissima, iuxta Evangelicam illam servam, cui dictum est: *Ex ore tuo te iudico serve nequam.* Et si reus ex probationibus condemnaretur, non explorata prius ejus confessione, Juris ordo inverteretur, quia reus inauditus condemnaretur, quod est contra omnia Jura, quae continentur in titulo Digestorum & Codicis: de requirendis Reus & c. i. de causa possess. dicitur: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire. Quin*

& apud Judæos hæc erat lex inviolabilis, Jo. 7. dicente Nicodemo, & iniquos Judices redarguente. *Nunquid & lex nostra iudicat hominem, nisi prius audiverit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?* Ratio ulterior est, quia etiam si probatum esset, commissum esse à Petro homicidium, adhuc tamen incertum est, an sit inexcusable, & ideo Justitia requirit, ut audiatur reus, an possit factum defendere & exculpate, prout Romani supponebant, testante Porcio Felso act. 5. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, ut pereat, priusquam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda Crimina, quae ei obijciuntur.*

### CONTROVERSIA I.

#### Quomodo formandi sint Articuli Inquisitionales.

#### SUMMARIUM.

Quomodo debeat interrogatio esse articulata. 176. Articuli super illis tantum formandi sunt, de quibus indicia verisimilia praehabentur.

177. Hinc non sunt rei interrogandi generaliter, an consueverint tale crimen committere. 178. Non sunt ponenda plura interrogatoria in uno eodemque articulo. 179. Quandoque expedit idem interrogatorium diversis verbis repetere. eod.

176. Dicendum I. Interrogationem debere esse articulatam, hoc est, singula facta ad rem pertinentia, singularisque facti qualitates & circumstantias, certis, clavis, & rotundis articulis includendo, & desuper reum examinando. Hæc conclusio est aliquo modo de Jure naturæ: hæc enim accuratio in examinando, est universaliter loquendo in causa gravissima, qualis est criminalis; necessaria, ne per confusam examinationem iudicium reddatur intricatum, & periculum sit, ne vel veritas supprimatur, vel innocens gravetur, quod periculum non abesset in perfunctoria & confusa interrogazione.

177. Dicendum II. Crimina, de quibus antecedenter ad inquisitionem specialem Judex nihil est informatum, non sunt articulis inferenda, sed super illis tantum factis formandi sunt, de quibus indicia verisimilia praehabentur. Ità habetur expressè in Ord. Crim. Carol. art. 20. Et quamvis articulus iste loquatur de examine faciendo in tortura, eadem tamen est ratio de antecedente examine.

178. Hinc male ageret Judex, si Reum accusatum de furto v.g. examinaret generaliter interrogando, an sit solitus committere furta? sed in specie, seu, ut Logici loquuntur, in individuos, an commiserit hoc furum, in tali loco & tempore, in tanta quantitate. Ratio est, quia generalis illa & confusa interrogatio, extenderet se ad furta de quibus nulla existant indicia. Et insuper ratione furti inquirendi & accusati, pracluderetur reo via preparandi suas defensiones. Imò, etiam si coniteretur se sapere aliàs furatum esse.

179. Dicendum III. Non sunt ponenda plura Interrogatoria in uno eodemque articulo. Ratio est, quia per hoc etiam graviter decipi posset inquisitus, qui respondendo fortè ex simplicitate ad unum interrogatorium affirmative, notaretur in Actis quasi totum articulum confessus esse.

179. Dicendum IV. Quandoque expedit, unum idemque interrogatorium aliis & aliis verbis repetere, dummodo id non fiat captiosè ad reum involvendum, & ejus verba in sensum à genuino alienum interpretando, sed in eum finem, ut eò magis constet de responsionis conformitate, vel variatione, quorum primum proderit reo; alterum nocet, quia potest variatio viam aperire ad torturam, si adsint cætera requisita.

se, hæc non esset confessio illius furti de quo hic & nunc accusatus est. Simili modo inepta esset interrogatio, an vulneratus (ponamus quòd se vulnerabile confessus sit) ex vulnere decesserit. Nam vel reus responderet affirmative: Et hæc confessio nihil probaret, quia hoc ipse certò scire non potest, sed debet constare per inspectionem vulneris, ut constet de corpore delicti. Vel responderet se nescire, & sic respondendo perinde est, ac si non fuisset interrogatus. Uno verbo, illa interrogatio, cum eò tendat, ut reus confiteatur homicidium, & inde possit condemnari, viam sternit ad iniquam sententiâ ferendam, pracludendo reo viam defendendi se, quòd vulneratus non ex vulnere decesserit. Et hoc modo peccasse plures Judices Mediolanenses Signorolus, dicens esse modum examinandi Diabolicum ut refert Clarus q. 45. n. 11.

179. Dicendum III. Non sunt ponenda plura Interrogatoria in uno eodemque articulo. Ratio est, quia per hoc etiam graviter decipi posset inquisitus, qui respondendo fortè ex simplicitate ad unum interrogatorium affirmative, notaretur in Actis quasi totum articulum confessus esse.

179. Dicendum IV. Quandoque expedit, unum idemque interrogatorium aliis & aliis verbis repetere, dummodo id non fiat captiosè ad reum involvendum, & ejus verba in sensum à genuino alienum interpretando, sed in eum finem, ut eò magis constet de responsionis conformitate, vel variatione, quorum primum proderit reo; alterum nocet, quia potest variatio viam aperire ad torturam, si adsint cætera requisita.

### CONTROVERSIA II.

#### Quà ratione ad articulos respondendum sit Reo.

#### SUMMARIUM.

Responiones extrajudiciales non habent vim confessionis. 180. An exigendum iuramentum de dicenda veritate. 181. Redditis responionibus potest iudex ad articulos de novo formatos exigere responionem. 182. Quid si reus antecedenter neget crimen, an omitti propositionibus possit procedi ad probationes, si verò juretur, ad sententiam condemnatoriam. 183. An liceat interrogat ionibus inpergere minas. 184.



An liceat *fiat* impunitatis promissione elicere confessionem. 185.  
 An confessione sic obtenta, liceat procedere ad condemnationem. 186. & seq.  
 Admonendus reus, ut deducat, que ad defensionem facere possunt: que Notarius accuratè annotet. 188.  
 Item ut respondeat distinctè, clarè, & categoricè: alioquin interrogationes iteranda. 189.  
 In levioribus cogitur reus respondere sub pœnâ confessi. 190.  
 Non admittenda responsio in scripto, si vocalis haberi possit. 191.

180. **D**icendum I. Reus non tenetur respondere ad articulos propositos, nisi in Judicio, coram Judice & Assessoribus (ubi Assessoribus adhibentur) proponantur: & si aliter fieret, responsiones extrajudiciales non haberent vim confessionis delicti.

181. Controversum est, an sit prius, quàm respondeat reus, exigendum juramentum de dicenda veritate. Negat rotundè Carpovius, & in veltur acriter in Judices Juramentum exigentes n. 42. q. 113. & rationem reddit, quòd imponentes hoc modo reis Juramentum purgationis, eo ipso viam effugiendi pœnam promeritam iis demonstrant. Nam præstito hoc juramento, inquisiti crimen diffidentes à pœnâ & inquisitione proflus liberantur.

Hæc tamen ratio non stringit. Non enim vetum est, quòd Juramentum *respondendorum* semper sit Juramentum purgationis, sed adhiberi potest ad conscientiam arctandam, esto non hoc ipso quòd reus juraverit, teneatur illi Judex credere: potest enim nihilominus ad probationes procedere.

Rosbachius tit. 3. c. 1. n. 2. rotundè dicit, responsiones ad articulos seu positiones medio juramento *respondendorum* fieri debere. Julius Clarus q. 45. n. 9. fatetur, in Italia praxin habere ut Juramentum exigatur, nec se ausurum à praxi tali recedere, quamvis fateatur eam sibi displicere, & hoc ob periculum Perjurii moraliter certi.

Ego audivi sæpius pro regula allegari, Reo non esse deferendum Juramentum, sicut solet testibus deferri, ob periculum Perjurii. Et sanè videtur parùm utilitatis habiturum, etiam in illis qui nolunt perjurium committere, si fortè sint instructi, quâ ratione, & in quibus causis possit responderi cum restrictione mentali. Consenit reipsâ Sanchez lib. 6. Consil. c. 3. dub. 34.

Dicendum itaque II. Nisi consuetudo aliud habeat, videtur rectè ab exigendo hujusmodi juramento abstineri: ob rationes allatas, &

quia Jura nullibi imponunt Judici, ut ad Juramentum *respondendorum* reum adstringat.

182. Dicendum III. Redditis ad articulos propositos responsionibus, potest Judex novis formis articulis ad eosdem exigere responsionem, non obstante, quòd ceteroquin in processu Ordinario non liceat mutare libellum post litem contestatam, & redditas responsiones. Ratio disparitatis est, quia, bono communi sic exigente, in processu Inquisitionis proceditur summarè, non servato juris ordine, ne delicta maneat impunita. Unde quando dicitur, quòd processus Inquisitorius successerit in locum Ordinarium, & per vulgaria subrogatum sapiat naturam illius cui est subrogatum, intelligendum est in præsentia materia, quoad ea quæ favent Inquisitioni, non quæ ejus finem impediunt, aut difficiliorem reddunt. Sic Judex ex officio & per Inquisitionem procedens, etiam post publicationem attestations potest ad offensam rei novas probationes, novos testes admittere, quod non licet in ordinario processu, ut præced. to. dictum est.

183. Dubitatur I. An, si reus antecederet ad articulos sibi propositos crimen neget, possit statim, omisâ illorum propositione, procedi ad criminis probationes: item si illud confiteatur, possit, omisâ illorum propositione, statim ad sententiam & condemnationem procedi. Affirmat Marian. in c. *Qualiter & quando de accus.* Verùm, Carpovius ait, contrarium in praxi servari, & articulos nihilominus formari, & reum super iis examinari: quod etiam testatur Clarus q. 45. n. 5. imò ipse Marianus sibi contrarius apud eundem. Ratio est, quia fit clarior & apertior Rei responsio. In levioribus tamen criminibus aliud observatur.

184. Dubitatur II. An liceat Judici examinanti inspergere minas torturæ, ut sic facilius obtineat spontaneam confessionem. Affirmant aliqui. Sed rectè ab aliis negatur licere, quamdè non habentur sufficientia indicia ad torturam. Ratio est, quia minæ essent injustæ, minaretur enim Judex aliquid, ad quod non habet Jus. Deinde talis confessio subsecuta redderetur dubia, an esset confessio spontanea, vel per torturam extorta, metu nimirum illius, cum tamen multùm interfit inter confessionem spontaneam, & metu tormentorum factam, ut patebit. Quòd autem redderetur dubia, patet ex eo, quia sunt DD. qui dicunt paria esse, per torturam confessam esse, & metu tormentorum. Quamvis teste Claro q. 64. n. 31. praxis habeat, ut talis confessio habeatur pro spontanea, præsertim si sint minæ leves, nec confessus sit persona timida.

185. Dubitatur III. An liceat Judici factâ impunitatis promissione elicere confessionem delicti.

delicti. Affirmant aliqui ex eo fundamento, quòd exemplo Salomonis confet, licere Judici aliqua simulare. Verùm, repugnat verè Theologia, licere unquam, ad quodcunq; bonum obtinendum, mentiri, quòd fieret in posito casu, & aliud est simulare seu fingere, aliud mentiri. Sed

186. Dubitatur IV. Et difficilius, an ex confessione sic obtenta liceat Judici procedere ad condemnationem. R. Theologicè certum esse, quòd non liceat. Nam Judex fraude obrinuit illam confessionem: ergo per injuriam conjecit reum in talem statum: ergo teneatur ex justitia restituere in antiquum statum, quantum in se est. Unde mihi certum est, quòd vi talis confessionis non posset Judex ad torturam procedere, si non habeat alia indicia ad torquendum sufficientia. Accedit, quòd facile contingere posset, ut etiam innocens promisâ impunitate alliceretur ad confitendum crimen quod nunquam commisit, nempe quia timet, ne fortè, si neget, tormentis subiciatur, aut diuturno carcere vextetur. In facti contingentia, ut refert Clarus, quædam Catharina Candolia, quæ coram Judice confessa fuerat se partum necesse, cum deinde assereret, illam confessionem à se per Judicem blandis verbis, minisque extortam fuisse, idque probasset coram Judice delegato, fuit tantummodo torturæ subiecta, & cum perstitisset in negativa, fuit absoluta.

187. Ceterum notandum est, quòd dixerim, Judicem teneri ex Justitia, quantum in se est, servare indemnem. Quam opinionem pluribus DD. in utramque partem relatis, Clarus q. 55. n. 9. tanquam æquiorè præfert, nempe impunitatem esse præstandam à Judice, si est in ejus potestate. Si verò non est in ejus potestate, tunc inquit, sibi imputet, qui credidit tali promissioni. Addit tamen statim, quasi se corrigens: *Nunquam tamen hujusmodi reum condemnarem ex tali Confessione ad pœnam ordinariam delicti, nisi esset alius etiam indicij gravatus.* Ego autem proflus censeo talem confessionem, si postea à reo retractata, habendam esse pro Nulla, perinde ac si facta non esset, quia non est legitime obtenta. Et nunc video Farinacium ejusdem esse opinionis q. 81. cap. 8. to. ubi illud ipsum advertit, n. 280. quòd ego paulò ante notaveram: pluries (inquit) vidi, multos sub spe impunitatis confessos falsum dixisse de se & aliis. Credentes enim se confitendo liberos, non advertunt, neque curant contra se & alios mentiri. Ad hæc igitur vitanda caveas tu Judex ab hujusmodi promissionibus. Quodsi forsan inanis gloriæ cupidus & ad extorquendam confessionem impunitatem promiseris, scias te NB. nec in foro conscientia, nec etiam in contentioso (quidquid in contari-

um dixerit Bossius) posse istum reum condemnare. Ita Farinacius.

188. Dicendum III. Propositionem articulorum & Interrogationes debet comitari admonitio rei, ut in suis responsionibus diligenter deducat, quæ ad ipsius defensionem facere possunt. Ipsæ autem responsiones ab actuario seu Notario cum omni diligentia, & quantum fieri potest, in formalibus terminis, & cum omnibus ad defensionem rei pertinentibus deductis annotandæ sunt. Hæc, junctâ praxi, habentur articulo 184. Ord. Carol. Ratio est in aperto; quia ex actis formandus est reliquus processus & sententia.

189. Dicendum IV. Admonendus insuper est reus, (nisi per se id faciat) ut responsiones reddat distinctas, & claras, ad singulos articulos & positiones, hoc est, categoricas, affirmando, vel negando, secundum suam scientiam quam habet, omisâ ambagibus, & circumlocutionibus quibus responsio involvitur: unde & interrogationes iterandæ sunt, donec obtineatur responsio talis, ex qua Judex certò cognoscere possit, quid reus neget, & quid probandum restet. Quodsi reus pergat inconvenienter respondere, aut omnino tergiversetur, cum se reddat hociusmodi suspectum, potest in criminibus gravioribus ex hoc tanquam sufficienti indicio ad aliquam torturam procedi, ut categoricam responsionem reddat. Ratio est manifesta, quia nisi hoc liceret, esset in potestate cujusque Rei, sententiam & supplicium declinare.

190. Dicendum V. In delictis levioribus, quorum non est pœna corporalis, Reo imponitur respondendi necessitas sub pœna confessi, ut scilicet nolens respondere, convenienter habendus sit pro confessio & convicto, & in pœnam arbitrariam condemnatur ob contumaciam, quæ est facta & imaginaria probatio, in præsumptione fundata. Ita DD. communiter.

191. Dicendum VI. Sicut non permittitur reus respondere ore alieno, v. g. Advocati, (ut supra dictum est) ita nec scripto. (nisi mutus esset, & ipsemet scriberet in præsentia Judicis.) Ratio est eadem, quia ex vultus constitutione & variatione, tergiversatione, intermixta revocatione seu correctione, multa indicia colligi possunt ad fundandam suspicionem delicti, & quæ Judici deserviant ad ulterius procedendum, & quidem ad torturam.

1920:0320:  
52



## CONTROVERSIA III.

*An ad hoc, ut Reus obligetur respondere, debeat prius certificari à Iudice de meritis, seu indicis sufficientibus ad interrogandum.*

## SVMMARIVM.

*Propositio ratio affirmandi & negandi. 192. Ex eo quod Iudex habeat ius interrogandi, male inferitur obligatio patefaciendi indicia. 194. Modus conciliandi utriusque opinionis A. A. 195. An possit reus absque mendacio negare factum, sciens Iudicem interrogare ex falsa presumptione, vel ex responsione factum presumpturum. 197.*

192. Respondent affirmativè Theologi, Cajetanus, Sotus, Navarrus, quos refert & sequitur Lugo d. 40. n. 2. Ratio esse potest, quia sicut ad hoc ut obligetur respondere, debet ei constare de Jurisdictione Iudicis, ita & de proximo fundamento interrogandi, per quod aliquo modo completur in præsentia Jurisdictione. Nam quamdiu illi dubium est, an iudicè interrogetur, possidet suam bonam famam bonà fide: ergo non tenetur eam prodigere.

Negativè respondent alii Theologi. Paludanus, Sylvester, Antoninus & alii, quos refert Diana 3. p. 174. §. Miscell. resol. 91. & 100. Ratio horum est, quia in dubio tenetur subditus obedire Superiori, quamdiu non appareat manifestè peccatum.

193. Ad hanc secundam sententiæ probationem respondet Card. de Lugo, illam procedere, quando est sermo de re præcepta, an sit licita, & subditus ignorat, an sit vel non sit licita, tunc enim debet propter auctoritatem Superioris deponere dubium, & supponere rem esse licitam. At verò in præsentia controversia est quæstio & dubium de potestate Iudicis, & ideo in hoc casu speciali non tenetur reus obedire respondendo, quia Iudex non habet à Republica potestatem interrogandi viâ inquisitionis subditos pro libito, sed interrogandi in certis casibus, tunc scilicet quando est publicum delictum, vel probabile saltem si procedat per accusationem: debet ergo prius manifestare subdito potestatem quam habet, alioquin ipse subditus possidet suam liber-

tatem: Iudex autem non possidet potestatem interrogandi, nisi cum talibus circumstantiis: imò Republica non censetur dedisse ei potestatem interrogandi, nisi ostensâ prius probatione sufficienti ad legitimè interrogandum, propter magna inconvenientia quæ sequerentur, si posset Iudex interrogare non ostensâ præviâ probatione. Jam ergo subditus non dubitat in præsentia, sed potius iudicat prudenter, Iudicem non posse hic & nunc interrogare, donec ostendat fundamentum quod habet ad interrogandum.

194. Nisi graviter fallor, in hoc discursu confunduntur duo valde distincta, nempe, quòd Iudex non habeat potestatem interrogandi, non habitus prius sufficientibus Indicis: (& hoc est verissimum. hanc enim potestatem non habet, & ex hac sequerentur gravissima inconvenientia, ut supra declaratum est) Et, quòd non habeat potestatem interrogandi, nisi prius manifestatis Indicis: quod erat Lugoni probandum; nec enita ex priorè hoc legitimè inferitur. Potestque contrarium ex ipsius Lugonis doctrina probari. Nam quando reus ignorat, an Iudex habeat legitimam indicia, adeoque rectè præcipiat ut respondeat, deberet potius dubium deponere, & præsumere cum habere, & non injustè exigere responsionem. Et quia Lugo suam totam doctrinam extendit etiam ad testes, quòd ipsis debebat constare de iusta causa inquirendi & interrogandi, dico hoc esse contra quotidianam praxin, vidè enim sæpè testes super delicto alieno examinari, nec unquam illis prius fuerunt detecta indicia ex quibus inquirebatur specialiter in reum.

195. Videntur ergo mihi dux relatæ sententiæ posse conciliari, si dicamus, quòd Iudex possit absque inconvenientibus indicis & generali inquisitione formatis, absque eo, quòd illi manifestet indicia. Per hanc interrogationem non imponitur obligatio reo statim absolute respondendi: Verum, licet illi, si velit, excipere, se non credere adesse sufficientia indicia ad inquirendum in se, ac proinde, cum sciat, non licere Iudici interrogare, nec ad respondendum obligare nisi habitis indicis, petere se, ut huiusmodi indicia sibi manifestentur; & tunc omnino credo quòd Iudex teneatur illa manifestare, quia debet reo fieri facultas illa indicia purgandi. v. g. visus est reus cum gladio sanguine asperso incidere per plateam, & ex hoc indicio inquitur in eum de homicidio commissio. potest hoc indicium purgare per testes, quòd gladium ab alio abjectum invenerit in platea, vel quòd illum extraxerit ex cadavere occisi. Quodsi Iudex rationabiles causas haberet, necdum manifestandi indicia, & diceret reo, se habere abunde indicia, sed quæ hic & nunc non expedit manifestari, nec ipsius rei interesse illa scire, parò ve-

ram

## CONTROVERSIA IV.

*An, quoties Reus iuridicè interrogatur, qui a scilicet ad sunt sufficientia indicia ad interrogandum, vel delictum scit esse semiplene probatum, teneatur in conscientia respondere veritatem contra se.*

## SVMMARIVM.

*Referuntur sententiæ D. D. 198. & seq. Probationes sententiæ negativæ. 200. & seq. Respondetur argumentis contrariis. 205. & seq. Ratio, cur in levioribus procedat affirmativa sententia. 209.*

*An reus injustè negans & absolutus, teneatur postea fateri. 210.*

*Quid si necdum est absolutus, & adhuc sub iudicis potestate, an etiam non interrogatus teneatur retractare. 211. & seq.*

*Quid si convictus damnatur, an ante supplicium teneatur retractare suam negationem injustam. 215.*

*Quid dicendum de negante heresit. 216.*

*An teneatur retractare confessionem falsam vi tormentorum factam. 217.*

198. Celeberrima est hæc apud Theologos, ad quos spectat, controversia, & practica, serviens pro instructione Confessoriorum, ad dirigendos huiusmodi penitentes, si ab ipsis consultantur.

Prima & valde communis est sententia affirmativa, etiam si ultimo supplicio ob crimen confessum sit afficiendus reus. Ità S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 1. in C. ubi damnat negantem peccati mortalis, & quidem contra Iulianum. S. Thomas sequuntur præter Thomistas ex nostra religione Lessius c. 31. n. 12. Sanchez lo. cit. c. 3. dub. 19. Toletus, Dicastillo disp. 6. dub. 1. n. 6. & Lugo vocat probabilissimam.

199. Secunda sententia negat hanc obligationem esse universalem, solentque ab Auctoribus huius sententiæ excipi variis calus: veluti, si timenda sit sententia mortis, damnatio ad trimes, confiscatio omnium bonorum, & universum in examine gravium delictorum, in quibus perveniri potest ad torturam, non in levioribus. Et quamvis hanc sententiam Tertianus dixerit improbabilem, & auctoritate desitutam, ea tamen

men

ram esse secundam sententiam, & reum teneri respondere, stante presumptione pro Iudice, quamdiu reus non habet probabilem rationem dubitandi.

196. Et sanè P. Sanchez non videtur mihi consequenter procedere, dum n. 3. limitat suam sententiam ad causas graviiores, in quibus magnum periculum sequitur: secus, inquit, in levioribus, ubi leve sequitur periculum. tunc enim si constet Iudicem esse virum probum & peritum, tam reus quam testis in re dubia tenetur veritatem fateri. Rationem reddit, quia injuria fieret Iudici probo, si in his levioribus illi fides non adhiberetur. Ego autem dico, quòd imò in levioribus illi major fieret injuria, quia si eum in levioribus esset gravius peccatū, velle reum fallere examinando, quando non habet Jus examinandi, ita major est injuria, nolle viro probo credere, quia probitas magis abhorret à culpa gravi quam à levi. Deinde probitas non tribuit Iudici Jus interrogandi, si à Jure illud non habet: atqui sine Jure interrogandi non datur obligatio respondendi: ergo si in levioribus non habet Jus interrogandi, probitas non obligabit reum ad respondendum.

197. Dubitatum est, an possit reus absque mendacio, & etiam absque perjurio, si fortè prius præstitit Juramentum respondendum, negare id super quo interrogatur, vel quòd esset ex confessione talis rei presumptus delictum, v. g. si interrogetur, an stricco ense exiverit è tali domo, in qua homicidium commissum est; & ipse quidem exivit, sed non occidit. Cum communi Theologorum, affirmativè. Ratio est, quia si Iudex sciret, eum non occidisse, non haberet causam interrogandi, & per talem negationem nemini nocet, nec facit, ut delictum maneat impunitum, sed potius impedit, ne innocens presumptione gravatus torqueatur. Ergo non negat contra mentem Iudicis, qui sane ipse deberet malle reum negare, quam fateri. Itaque negationis sensus est: *Nego me exisse cum gladio reum homicidii, ut tu presumis, vel presumpseris esse, si faterer.* Ità cum S. Thomas q. 69. a. 1. sententiæ Theologi, quos refert & sequitur Diana & Lugo. Verum, caveat reus, ut non neget, quod fortè poterit legitimè probari, tunc enim sibi gravius noceret, quam prodesset, nisi sciat, quòd si convinceretur, adhuc haberet modum se defendendi ab homicidio, & tunc declaret, se prius ideo negasse, quia habuit Jus negandi, sciens se interrogari ex falsa presumptione.





men ab aliis innumeris probabilis vocatur, quos longo catalogo refert Lugo, vocans eam valde probabilem, & in praxi securam, præsertim in causis capitalibus. Imò tandem fatetur, stando in ratione, sibi videri multò probabiliorum. Imò etiam ut probabiliorum defendunt Navarra lib. 2. de restit. cap. 4. n. 137. & seqq. referens Abbatem, Sylvestrum, Angelum, Armillam & alios, item Emanuel Rodriguez in summa tract. de Ordine Judiciali c. 10. n. 1. ubi pro eadem citat Salzedum. Hac sententia reo favorabilis est. Et

200. Probatur I. De ratione Legis humanæ est, ut sit conformis humanæ conditioni & infirmitati, cujus observantia communiter sperari possit, alioquin ad aliud non serviret, quam ad illaqueandas conscientias, & multiplicanda peccata, absque ullo emolumento Reipublicæ, cujus intuitu lex ipsa lata est. Atqui esset supra humanam infirmitatem, & communiter insperabile, quòd quis timore peccati dicat contra se ipsum testimonium, vi cuius condemnatur ad mortem vel aliud gravissimum damnum, quamdiu illi spes est evadendi per constantem negationem delicti, prout quotidiana experientia docet: nam vel rei defacto plerumque negantes delictum, apprehendunt & agnoscunt aliquam huiusmodi obligationem gravem fatendi crimen, vel non agnoscunt. Si agnoscunt, experientia docet, ab ea illos non absterri à negando, & sic vera est minor propositio. Si non agnoscunt: ergo Lex est otiosa & inutilis, utpote communiter ignota.

201. Probatur II. Delictum contra reum plenè probato, adhuc est licitum reo non comparere apud Judicem cum tanto periculo, & si jam captus est, potest licitè fugere, non obstante prohibitione, ut supra ex hoc ipso fundamento probavimus cum communi sententia, nempe quia præponderat Jus naturale ad propriam vitam tuendam: ergo idem Jus excusabit illum à confessione criminis, quamdiu negatio criminis apparere utile medium ad conservationem vitæ, & cæterorum gravissimorum damnorum evitacionem.

202. Probatur III. A minore ad majus. Quisque est sibi ipsi magis conjunctus quam cuiquam alteri: Atqui nemo tenetur in tam periculoso examine dicere testimonium adversus personam sibi valde conjunctam, ut suo loco ex communi dictum est, imò repelluntur à testimonio dicendo ob præsumptionem, quòd non sint sincerè testificaturi. Ergo multò magis excusabitur quis ab obligatione gravi testificandi contra seipsum, & quidem testimonio faciente plenam probationem.

203. Probatur IV. Tunc solum potest lex humana obligare subditos ad subeundum vi-

tae periculum, (& aliud damnum non multò minus grave) quando ad evitandum maximum Reipublicæ aut patriæ damnum talis obligatio & talis periculi susceptio est necessaria. Atqui confessio delicti quantumvis gravissimi, non est unquam necessaria ad evitandum maximum Reipublicæ damnum; nam omne damnum quòd fortè timeri potest ex evasione & impunitate rei, sufficienter evitatur, si reus habeat propositum firmum non amplius lædendi Rempublicam, quale propositum utique tenetur habere, sicut & ille qui è carcere fugit, aut citatus non comparere: ergo sicut ad vitandum Reipublicæ damnum non est necessaria comparitio, ita nec confessio delicti.

204. Probatur V. Nemo potest obligari ad testificandum contra alium, quando ex tali testificatione timeret sibi grave damnum aliquod ex supra recensitis, nisi hoc esset necessarium ad tantum Reipublicæ malum evitandum, ad quod evitandum teneretur subditus huiusmodi damnum subire: ergo à fortiori non tenebitur testificari contra se cum periculo incurrendi huiusmodi damnum. Mirabile enim esset (inquit Lugo) si testis talis excusatur, quando vidit alium delinquentem, & non excusatur, si ipsemet sit delinquens.

205. Restat, ut respondeatur ad argumentum contrariæ sententiæ, quod variis modis proponi potest.

S. Thomas loco citato sic argumentatur. Judex est Superior respectu ejus qui iudicatur: Et ideo ex debito tenetur accusatus Judicem veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Hoc argumentum omnibus solvendum est in licentia fugiendi, vel non comparendi post insinuatam legitimam citationem. Quomodo directè respondendum sit, patebit ex dicendis. Breviter negatur suppositum, quòd Judex possit ferre præceptum obligans supra humanam infirmitatem, & cujus observatio communiter sperari non potest.

206. P. Dicastrillo tribus verbis probat sententiam contrariam, dicens. Alioquin vana esset potestas Judicis. R. Non esse vanam patet ex dicendis.

207. Alii speciosius sic proponunt. Judex habet potestatem exigendi Juramentum à Reo, & legitime reum interrogat: ergo reus tenetur ei respondere: alioquin daretur bellum justum ex utraque parte, si Judex justè & legitime interrogaret, reus verò posset justè non respondere.

Ad hoc argumentum responderet cum Card. de Lugo, imprimis, sæpe obligari reum ad fatendam veritatem, quando non est periculum tanti damni, quòd humanam infirmitatem superat,

perat, modo explicato. Deinde etiam obligatur, quando moraliter certus est, delictum esse plenè probandum. Tertio, etiam in aliis casibus habet potestas interrogandi suam utilitatem, nempe quatenus ponit reum in disjunctiva necessitate, vel fatendi delictum, vel sustinendi torturam. Sicut intercarcerando cum prohibitione fugæ, imponit necessitatem vel non fugiendi, vel subeundi pœnam fugientibus statutam. Denique in casu quo dubium est, an possit crimen plenè probari, habet illa potestas interrogandi aliam utilitatem in comodum ipsius Rei, nempe, ut si sponte fateatur, mitius fortè puniatur, quam puniretur convictus.

208. Urgent adversarii. Si Judex non potest obligare reum ad confessionem delicti capitalis, redditur angusta via detegendi delicta, eaque debito modo puniendi, & per consequens abundanti Respublica hominibus criminosis, cum summo detrimento. Ad hoc tamen patet responsio ex supra dictis, nempe non magis sequi hoc incommodum ex veritate nostræ sententiæ, quam securum esset, si ponamus veram esse sententiam contrariam, ut etiam hic advertit Lugo n. 16. Constat enim experientiâ, reos defacto crimina spontè communiter non confiteri (quæcunque sententiâ ponatur vera) nisi vel vi, vel metu tormentorum: quare illud Reipublicæ damnum melius & sufficienter impeditur, quantum impedibile est, dando Judicis potestatem torquendi, vel minitandi torturam.

In stabis. Tortura videtur inferri in pœnam negati delicti, ergo supponit obligationem confitendi, nam tam gravis pœna inferri non potest, nisi præsupposita culpâ. R. Antecedens esse falsissimum, nam, quæso, quomodo potest infligi reo pœna, ob negatum crimen, si necdum constat esse falsò negatum? Itaque sicut Jus incarcerandi est Jure gentium & naturali introductum, tanquam medium necessarium ad impedienda & punienda delicta, ita etiam Jus torquendi est Jure naturæ & gentium introductum, tanquam medium necessarium ad inveniendam sæpè veritatem. Porro, sicut non obstante Jure incarcerandi, habet reus Jus naturale fugiendi si potest, ita etiam, non obstante Jure torquendi, habet Jus sustinendi torturam si velit, & sic in foro exter non purgandi crimen, & absolutionem obtinendi.

209. Hinc autem potest reddi ratio, cur in levioribus teneatur veritatem fateri. Nempe quia in huiusmodi non est potestas veniendi ad torturam, & ideo deficiente hoc medio, debet substitui medium obligandi ad dicendam veritatem, quia talis obligatio non excedit conditionem humanam, ut jam supra dixi, & hoc

animadverso evanescent abusus hujus sententiæ.

210. Dabitur jam ulterius. Quiddam Reus, in casibus, in quibus est obligatus dicere veritatem, eam negavit injustè, & sic absolutus est, an teneatur postea hoc falsum retractare, & crimen fateri etiam non amplius interrogatus, sicut amplius interrogari non potest. R. Negativè. ut patet à fortiori ex dicendis. Et hoc quidem est extra controversiam, quia supponitur, quòd nullum damnum contra Justitiam intulerit, quòd aliter refarciri non possit, quam redeundo ad Judicem, & crimen confitendo. Verùm

211. Difficilis & controversia est, an teneatur retractare, si necdum est absolutus, nec adhuc lata sententiâ, sed adhuc est sub Judicis potestate, & poterit iterum juridicè interrogari: controversiam inquam est, an etiam non interrogatus teneatur retractare suam negationem illicitè factam contra Judicis præceptum. Affirmant Sotus, Navarrus, Salzedo, Angelus, Sayrus, Bannez, Salonijs. Alii longè communius negant. Pro resolutione

Observandum est, dupliciter posse à Judicè fieri interrogationem, primò ita, ut reo designetur certum tempus, v.g. unus dies, intra quem satisfaciatur suæ obligationi, & dicatur veritatem. Altero modo, & communius observato, si ita interrogetur, ut statim de præsentis respondeat ad interrogationem.

212. Dicendum I. Si priori modo interrogetur, tunc si v.g. negavit horis matutinis, adhuc tenebitur intra illum diem dicere veritatem. Ratio est, quia interrogatio virtualiter vel habitualiter durat per totum diem, & in singula momenta virtualiter repetitur, & perinde est, ac si realiter repeteretur interrogatio. Atqui si realiter repeteretur interrogatio, non minus teneatur ad iteratam interrogationem dicere veritatem, quam ad primam: ergo non obstante priore negatione, tenebitur adhuc durante die fateri crimen, & sic priorem negationem retractare. Et ita tenet Lugo n. 18.

213. Dicendum II. Si secundo modo interrogatus est, non tenetur retractare negationem male factam, quamdiu non iterum juridicè interrogatur. Probatur. Præceptum obligans solum ex obedientia, non urget nisi pro illo tempore, pro quo exigitur res præcepta. atqui Judicis præceptum solum obligat ex obedientia, & ut ponimus in casu, solum urget pro illo determinato tempore, quo fit negatio criminis: ergo illo tempore elapso, non remanet, vi illius interrogationis, obligatio confitendi crimen.

214. Confirmat Card. de Lugo à simili, quia etiam extra Judicium, si cui sub Juramento aliquid interroganti falsum responderem, peccarem



ea enim contra veritatem, & tamen nemo obligabit ad retractandum: quod tamen intelligendum est, nisi aliquid damnum inde sequeretur, vel perniciosa error intellectualis tali mendacio causaretur. Simili modo, si per falsam negationem pars adversa damnum pateretur tam grave, ut illud non posset ad meam vitam tuendam causare, & non possem pro illo aliter satisfacere, vel illud aliter impedire, quam revocando, non dubito quin tenerer revocare, ut per se pater, quia non revocando essem causa illius damni. Si tamen (ut plerumque fieri potest) possem alio modo illud damnum refarcire, non tenerer revocare.

215. Controversum deinde est, quid dicendum sit, quando, non obstante delicti negatione, reus alius probationibus convictus est, & damnatus ducitur ad ultimum supplicium, an tunc in mortis articulo obligatus sit, & a Confessario de hac obligatione monendus ad suum crimen confitendum. Affirmant Corduba, Medina, Ledesma, Vega & alii.

Probabilius & communius alii negant. Probatur I. Quia tunc jam functus est iudex officio suo: ergo non amplius habet ullam vim obligandi interrogatio iudicis, imò esset inutilis & superflua, quia non serviret ad decisionem causæ, utpote quæ jam est decisa. Probatur 2. Quia ex opposita sententia arripiunt aliqui iudices occasione iniquissime procedendi cum reo, nempe simulant, ac si reus esset convictus, & condemnatus, ut reus in tali articulo constitutus, & nolens mori in peccato, si illi dicat Confessarius, eum esse obligatum ad fatendum crimen, illud confiteatur, quo confesso eum postea iudex tanquam confessum condemnat ad mortem: si non confiteatur, reducit in carcerem: ergo non debet Confessarius reum in illo articulo constitutum obligare ad fatendum cri-

men, cum verè non teneatur, quia per dolum extorquetur confessio, & ideo non esset iudicialis, nec sufficiens ad condemnationem.

Obijciunt adversarii. Taciturnitas in illo casu redundat in detrimentum accusatoris, testium, & iudicis, qui male audiri sunt apud populum, quando intelligunt, reum perituisse in asserenda sua innocentia. Respondet Lugo, hoc scandalum non esse alicujus momenti, quia semper stat præsumptio pro æquitate sententiæ, & creditur potius reus negasse, vel quòd sciret, se non obligari ad confitendum, vel ad tuendam qualemcumque spem vitæ conservandæ.

216. Excipitur tamen Hæreticus negans hæresin, qui ideo obligandus ad retractandum, & confitendam suam. Illam hæresin, quia alioquin scandalizat populum, qui præmit, eum mori in sua hæresi, quam dicit convictus eam non fatetur, quia non censetur absolutus a censura, dum rejicit oblatam reconciliationem & absolutionem, & quia non vult satisfacere Ecclesiæ satisfactione publicâ pro culpa publica, & ideo merito præsumitur in eadem hæresi perseverare, & sic esse causa scandali.

217. Dubitatur denique, an, qui metu vel vi tormentorum confessus est crimen, quod non patitur, si deinde damnatur ad mortem, teneatur in conscientia confessionem retractare, & Teneri, quando sperat, se eâ ratione mortis sententiam evasurum, vel quando, nisi retractet confessionem, notabilis infamia in alios redundaret, quæ tamè per retractionem tolli potest, vel notabiliter minui, etiamsi fiat executio sententiæ. Ob propriam tamen infamiam declinandam non tenetur, quia est dominus suæ famæ. Videantur dicta To. 1. tract. 1. cap. de lesione in bonis fame & honoris.

## CAPUT VII. DE PROBATIONE DELICTORUM PER TESTES.

218. **S**IReus Crimen, super quo gravatus & examinatus est, constanter neget, incumbendum est iudici, ut, si fieri possit, probationibus convincatur & perinde reus habeatur, ac si crimen confessus esset. Sicut enim confessio rei sufficit ad eum condemnandum,

(si ad hunc cætera requisita, de quibus infra) etiamsi convictus reus non sit, ita contra sufficit esse convictum, etiamsi crimen confessus non sit. Probationem per testes fieri posse, indubitati Juris est, & patet in progressu.

### CONTROVERSIA I.

*Quot testes sint sufficientes, vel necessarii ad plene probandum delictum.*

### SUMMARIUM.

**A**N aliquando unus testis, & Princeps maxime, sufficiat ad condemnandum. 220.  
An licitum esset statutum de plena fide uni testis habenda. 221.  
An sufficeret assertio Principis, sibi ex aliorum Principum relatione constare, & esse notorium delictum. 222.  
An plenam fidem faciat assertio Principis de proprio visu. 223.  
An unus testis de facto proprio deponens, faciat plenam fidem in præjudicium tertii. 225.  
An regulariter sufficiant duo testes, & quales, ad condemnandum. 226.

219. **I**N qualibet causa tam Profana quam Ecclesiastica, tam Civili quam Criminali, regulariter sufficiunt duo testes omni exceptione majores. De testium numero in causis Civilibus, actum est priore tomo. Hic de causis Criminalibus solùm agetur. Itaque regula generalis, de sufficientia Duorum testium, etiam in causis capitalibus, approbatur à DD. nisi Statutum aliquod plures testes requireret. Sed de hoc Concl. 4.  
220. Controversum est I. An aliquando unus testis plenam faciat probationem, & in specie quaeritur de Principe summo, an si is de-

visu testetur, absque alio teste reus condemnari possit. Negat Matth. Stephani in Novis ad art. 22. Ord. Carol. Crimin. Bodinus lib. 6. de Republ. c. 6. Carpovius q. 114. n. 48. quibus addit Clarus Socin. inter consilia Curtii Junioris. Ipse autem Julius Clarus ex eodem Socino & communi opinione ferè omnium notat, (sed non audeat affirmare) quòd si Imperator diceret, aliquid sibi constare non quidem de proprio visu, sed ex relatione Principum sibi facta, & rem esse adeo notoriam, ut non indigeret probatione, & rescriberet proprio motu, tunc esset credendum ejus assertioni, saltem in tantum, ut transferret onus probandi contrarium in negantem. Quòd si Princeps asserat aliquid de proprio visu, tunc asserit, illi credendum etiam usque ad condemnationem. arg. Clementina literis de probat. Quod approbat Farinacius n. 177. cum hac limitatione, nisi de Principe particulari interesse ageretur, v.g. de privando delinquentem feudo. Quæ tamen Clementina parum probat de criminalibus, solùm enim dicit, verba literarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probate, si super illis gratia vel intentio Papæ fundatur. Quòd utique Pontifex statere potest contra seipsum, & in suam præjudicium. Hanc